


EUROPATRIA

FRANCISCO DE OLIVEIRA
COORDINATOR



UNITED KINGDOM

Introduction

English speakers from the United Kingdom may well be familiar with these texts from school and later. They range from the history of the earliest contacts of Britain with the Roman world and the resistance of the people to the empire, through the influence of Latin writing on the emerging English literature, to the use made of Classics in the formation of those running the British Empire, and concludes with our current relation to Latin texts in the field of music, culture and the arts.

1. Caesar's expedition to Britain

Those learning Latin in schools in the UK, like others in Europe, often have their first experience of an authentic text through Caesar. However, the passage most often used has been the account of Caesar's first expedition across the English Channel. The story of the standard-bearer jumping into the sea has always been used as a stirring tale of individual bravery for schoolchildren (usually boys), but the description of the British waiting on the shore as *barbari* has amused them. The difficulty experienced by the Roman soldiers in disembarking from the ships to make their initial attack has also served to remind generations of British that invasion of the island has never been an easy option. The narrative gives some satisfaction to English-speaking readers because the *barbari* at least gave a good account of themselves before going down to their inevitable defeat:

24. *At barbari, consilio Romanorum cognito praemisso equitatu et esedariis, quo plerumque genere in proeliis uti consuerunt, reliquis copiis subsecuti nostros navibus egredi prohibebant. Erat ob has causas summa difficultas, quod naves propter magnitudinem nisi in alto constitui non poterant, militibus autem, ignotis locis, impeditis manibus, magno et gravi onere armorum oppressis, simul et de navibus desiliendum et in fluctibus consistendum et cum hostibus erat pugnandum, cum illi aut ex arido aut paulum in aquam progressi, omnibus membris expeditis, notissimis locis, audacter tela conicerent et equos insuefactos incitarent. Quibus rebus nostri perterriti atque huius omnino generis pugnae imperiti, non eadem alacritate ac studio quo in pedestribus uti proeliis consueverant utebantur.*

25. *Quod ubi Caesar animadvertit, naves longas, quarum et species erat barbaris inusitator et motus ad usum expeditor, paulum removeri ab onerariis navibus et remis incitari et ad latus apertum hostium constitui atque inde fundis, sagittis, tormentis hostis propelli ac submoveri iussit; quae res magno usui nostris fuit. Nam et navium figura et remorum motu et inusitato genere tormentorum permoti barbari constiterunt ac paulum modo pedem rettulerunt. Atque nostris militibus cunctantibus, maxime propter altitudinem maris, qui decimae legionis aquilam ferebat, contestatus deos, ut ea res legioni feliciter eveniret, 'Desilite' inquit, 'milites, nisi vultis aquilam hostibus prodere: ego certe meum rei publicae atque imperatori officium praestitero.' Hoc cum voce magna dixisset, se ex navi proiecit atque in hostis aquilam ferre coepit. Tum nostri cohortati inter se, ne tantum dedecus admitteretur, universi ex navi desiluerunt. Hos item ex proximis navibus cum conspexissent, subsecuti hostibus appropinquarent.*

26. *Pugnatum est ab utrisque acriter. Nostri tamen, quod neque ordines servare neque firmiter insistere neque signa subsequi poterant atque alius alia ex navi quibuscumque signis occurrerat se aggregabat, magnopere perturbabantur; hostes vero, notis omnibus vadis, ubi ex litore aliquos singularis ex navi egredientes conspexerant, incitatis equis impeditos adoriebantur, plures paucos circumsistebant, alii ab latere aperto in universos tela coiciebant. Quod cum animadvertisset Caesar, scaphas longarum navium, item speculatoria navigia militibus compleri iussit et, quos laborantis conspexerat, his subsidia submittebat. Nostri, simul in*

arido constiterunt, suis omnibus consecutis, in hostis impetum fecerunt atque eos in fugam dederunt; neque longius prosequi potuerunt, quod equites cursum tenere atque insulam capere non potuerant. Hoc unum ad pristinam fortunam Caesari defuit.

27. Hostes proelio superati, simul atque se ex fuga receperunt, statim ad Caesarem legatos de pace miserunt; obsides daturos quaeque imperasset sese facturos polliciti sunt.

(Caesar, *de Bello Gallico* 4.24-27)

2. Tacitus

The British like to read of their ancestors' resistance to the Roman forces after the invasion and assimilation into the empire in the first century CE. There are two famous passages, both found in Tacitus. The first concerns the rebellion of Boudicca, and the second the final defeat of the British at the hands of Agricola in the Scottish highlands at Mons Graupius.

2.1. Boudicca

The account of Boudicca's rebellion begins with a rather blood-thirsty passage about the battle between the British and the Roman army on the island of Mona (Anglesey, off the North Wales coast). After defeating the wild and violent Druids, attention turns to the south-east. The rebellion begins in East Anglia where the Iceni lived, spreads to Camulodunum (Colchester in Essex) and Londinium (then a small settlement not worth protecting), before the armies meet at Verulamium (St Albans). Boudicca is defeated and she commits suicide:

29. Caesennio Paeto et Petronio Turpiliano consuibus gravis clades in Britannia accepta; in qua neque A. Didius legatus, ut memoravi, nisi parta retinuerat, at successor Veranius modicis excursibus Siluras populatus, quin

ultra bellum proferret, morte prohibitus est, magna, dum vixit, severitatis fama, supremis testamenti verbis ambitionis manifestus: quippe multa in Neronem adulatione addidit subiecturum ei provinciam fuisse, si biennio proximo vixisset. sed tum Paulinus Suetonius obtinebat Britannos, scientia militiae et rumore populi qui neminem sine aemulo sinit, Corbulonis concertator, receptaeque Armeniae decus aequare domitis perduellibus cupiens. igitur Monam insulam, incolis validam et receptaculum perfugarum, adgredi parat, navisque fabricatur plano alveo adversus breve et incertum. sic pedes: equites vado secuti aut altiores inter undas adnantes equis tramisere.

30. *Stabat pro litore diversa acies, densa armis virisque, intercurstantibus feminis; in modum Furiarum veste ferali, crinibus deiectis faces praeferebant; Druidaeque circum, preces diras sublatis ad caelum manibus fundentes, novitate aspectus perculere militem ut quasi haerentibus membris immobile corpus vulneribus praeberent. dein cohortationibus ducis et se ipsi stimulantibus ne muliebri et fanaticum agmen pavescerent, inferunt signa sternuntque obvios et igni suo involvunt. praesidium posthac impositum victis excisique luci saevis superstitionibus sacri: nam cruore captivo adolere aras et hominum fibris consulere deos fas habebant. haec agenti Suetonio repentina defectio provinciae nuntiatur.*

31. *Rex Icenorum Prasutagus, longa opulentia clarus, Caesarem heredem duasque filias scripserat, tali obsequio ratus regnumque et domum suam procul iniuria fore. quod contra vertit, adeo ut regnum per centuriones, domus per servos velut capta vastarentur. iam primum uxor eius Boudicca verberibus adfecta et filiae stupro violatae sunt; praecipui quique Icenorum, quasi cunctam regionem muneri acceperant, avitis bonis exuuntur, et propinqui regis inter mancipia habebantur. qua contumelia et metu graviorum, quando in formam provinciae cesserant, rapiunt arma, commotis ad rebellionem Trinobantibus et qui alii nondum servitio fracti resumere libertatem occultis coniurationibus pepigerant, acerrimo in veteranos odio. quippe in coloniam Camulodunum recens deducti pellebant domibus, exturbabant agris, captivos, servos appellando, foventibus impotentiam veteranorum militibus similitudine vitae et spe eiusdem licentiae. ad hoc templum divo Claudio constitutum quasi arx aeternae dominationis adspiciebatur, delectique sacerdotes specie religionis omnis fortunas effundebant. nec arduum*

videbatur excindere coloniam nullis munimentis saeptam; quod ducibus nostris parum provisum erat, dum amoenitati prius quam usui consulitur.

32. *Inter quae nulla palam causa delapsum Camuloduni simulacrum Victoriae ac retro conversum quasi cederet hostibus. et feminae in furorem turbatae adesse exitium canebant, externosque fremitus in curia eorum auditos, consonuisse ululatibus theatrum visamque speciem in aestuario Tamesae subversae coloniae: iam Oceanus cruento adspectu, dilabente aestu humanorum corporum effigies relictæ, ut Britannis ad spem, ita veteranis ad metum trabebantur. (...)*

33. *At Suetonius mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit, cognomento quidem coloniae non insigne, sed copia negotiatorum et commeatum maxime celebre. ibi ambiguus an illam sedem bello deligeret, circumspecta infrequentia militis, satisque magnis documentis temeritatem Petilii coercitam, unius oppidi damno servare universa statuit. neque fletu et lacrimis auxilium eius orantium flexus est quin daret protectionis signum et comitantis in partem agminis acciperet: si quos imbellis sexus aut fessa aetas vel loci dulcedo attinuerat ab hoste oppressi sunt. eadem clades municipio Verulamio fuit, quia barbari omissis castellis praesidiisque militarium, quod uberrimum spoliandi et defendentibus intutum, laeti praeda et laborum segnes petebant. ad septuaginta milia civium et sociorum iis quae memoravi locis cecidisse constitit. neque enim capere aut venundare aliudve quod belli commercium, sed caedes patibula ignes cruces, tamquam reddituri supplicium at praerepta interim ultione, festinabant.*

34. *Iam Suetonio quarta decima legio cum vexillariis vicesimanis et e proximis auxiliares, decem ferme milia armatorum erant, cum omittere cunctationem et congregari acie parat. deligitque locum artis faucibus et a tergo silva clausum, satis cognito nihil hostium nisi in fronte et apertam planitiem esse sine metu insidiarum. igitur legionarius frequens ordinibus, levis circum armatura, conglobatus pro cornibus eques astitit. at Britannorum copiae passim per catervas et turmas exultabant, quanta non alias multitudo, et animo adeo feroci ut coniuges quoque testis victoriae secum traherent plaustrisque imponerent quae super extremum ambitum campi posuerant.*

35. *Boudicca curru filias prae se vehens, ut quamque nationem accesserat, solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare testabatur, sed tunc non ut tantis maioribus ortam regnum et opes, verum ut unam e vulgo libertatem amissam, confectum verberibus corpus, contrectatam filiarum pudicitiam ulcisci. eo provectas Romanorum cupidines ut non corpora, ne senectam quidem aut virginitatem impollutam relinquunt. adesse tamen deos iustae vindictae: cecidisse legionem quae proelium ausa sit; ceteros castris occultari aut fugam circumspicere. ne strepitum quidem et clamorem tot milium, nedum impetus et manus perlaturus. si copias armatorum, si causas belli secum expenderent, vincendum illa acie vel cadendum esse. id mulieri destinatum: viverent viri et servirent.*

36. *Ne Suetonius quidem in tanto discrimine silebat. quamquam confideret virtuti, tamen exhortationes et preces miscebat ut spernerent sonores barbarorum et inanis minas: plus illic feminarum quam iuventutis adspici. imbellis inermis cessuros statim ubi ferrum virtutemque vincantium totiens fusi agnovissent. etiam in multis legionibus paucos qui proelia profligarent; gloriaeque eorum accessurum quod modica manus universi exercitus famam adipiscerentur. conferti tantum et pilis emissis post umbonibus et gladiis stragem caedemque continuarent, praeda immemores: parta victoria cuncta ipsis cessura. is ardor verba ducis sequebatur, ita se ad intorquenda pila expedierat vetus miles et multa proeliorum experientia ut certus eventus Suetonius daret pugnae signum.*

37. *Ac primum legio gradu immota et angustias loci pro munimento retinens, postquam in propius suggestos hostis certo iactu tela exhaurerat, velut cuneo erupit. idem auxiliarium impetus; et eques protentis bastis perfringit quod obvium et validum erat. ceteri terga praebuere, difficili effugio, quia circumiecta vehicula saepserant abitus. et miles ne mulierum quidem neci temperabat, confixaque telis etiam iumenta corporum cumulum auxerant. clara et antiquis victoriis par ea die laus parta: quippe sunt qui paulo minus quam octoginta milia Britannorum cecidisse tradant, militum quadringentis ferme interfectis nec multo amplius vulneratis. Boudicca vitam veneno finivit.*

(Tacitus, *Annales* 14.29-37)

2.2. Before the Battle of Mons Graupius

Here the speech of Calgacus, the British leader, before the battle encapsulates the feelings of the local people before the might of the imperial power. The concept for the British is ambiguous: it is not clear which side they should take – the Roman imperialists or the noble indigenous resistance? Perhaps a little of both:

29. *Initio aetatis Agricola domestico vulnere ictus, anno ante natum filium amisit. quem casum neque ut plerique fortium virorum ambitiose, neque per lamenta rursus ac maerorem muliebriter tulit; et in luctu bellum inter remedia erat. igitur praemissa classe, quae pluribus locis praedata magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos et longa pace exploratos addiderat, ad montem Graupium pervenit, quem iam hostis insederat. nam Britanni nihil fracti pugnae prioris eventu et ultionem aut servitium expectantes, tandemque docti commune periculum concordia propulsandum, legationibus et foederibus omnium civitatum vires exciverant. iamque super triginta milia armatorum aspiciebantur, et adhuc adfluebat omnis iuventus et quibus cruda ac viridis senectus, clari bello et sua quisque decora gestantes, cum inter pluris duces virtute et genere praestans nomine Calgacus apud contractam multitudinem proelium poscentem in hunc modum locutus fertur:*

30. *"Quotiens causas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis toti Britanniae fore: nam et universi coistis et servitutis expertes, et nullae ultra terrae ac ne mare quidem securum imminente nobis classe Romana. ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant, quia nobilissimi totius Britanniae eoque in ipsis penetralibus siti nec ulla servientium litora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit: nunc terminus Britanniae patet, atque omne ignotum pro magnifico est; sed nulla iam ultra gens, nihil nisi*

fluctus ac saxa, et infestiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium ac modestiam effugias. raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae, mare scrutantur: si locuples hostis est, avari, si pauper, ambitiosi, quos non Oriens, non Occidens satiaverit: soli omnium opes atque inopiam pari adfectu concupiscunt. auferre trucidare rapere falsis nominibus imperium, atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant.”

(Tacitus, *Agricola* 29-30)

3. **Civis Romanus sum**

The concept of citizenship within the British Empire was very strong. In the nineteenth century the British Prime Minister Palmerston used this passage from Cicero to establish the *civis Romanus sum* policy where a gun-boat was sent to deal with incidents involving threats to British citizens. The feeling that the rule of law was superior to local tyranny was an important element in the justification of imperial policy. For a later generation, Cicero was a popular figure for his championing of the ordinary Sicilians against the abuses of the provincial governor, Verres. Cicero also represents the success that can be won by a man of modest background through hard work and talent. To young people brought up on the notion that success in examinations could lead to success in life he was a worthy example:

161. *Exspectabant omnes quo tandem progressurus aut quidnam acturus esset, cum repente hominem proripi atque in foro medio nudari ac deligari et virgas expediri iubet. Clamabat ille miser se civem esse Romanum, municipem Consanum; meruisse cum L. Raecio, splendidissimo equite Romano, qui Panhormi negotiaretur, ex quo haec Verres scire posset. Tum iste, se comperisse eum speculandi causa in Siciliam adducibus fugitivorum esse missum; cuius rei neque index neque vestigium aliquod neque suspicio cuiquam esset ulla; deinde iubet undique hominem vehementissime verberari.*

162. *Caedebatur virgis in medio foro Messanae civis Romanus, iudices, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia illius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur nisi haec, 'Civis Romanus sum.' Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum cruciatumque a corpore deiecturum arbitrabatur; is non modo hoc non perfecit, ut virgarum vim deprecaretur, sed cum imploraret saepius usurparetque nomen civitatis, crux, – crux, inquam, – infelici et aerumnoso, qui numquam istam pestem viderat, comparabatur.*

163. *O nomen dulce libertatis! o ius eximium nostrae civitatis! o lex Porcia legesque Semproniae! o graviter desiderata et aliquando reddita plebi Romanae tribunicia potestas!*

(Cicero, *In Verrem* 2.5.161-163)

4. Pyramus and Thisbe

All British schoolchildren read Shakespeare's *A Midsummer Night's Dream*. The play presented in Act 5 by Bottom and the other Athenian workmen at Theseus' wedding is based on the story found in Ovid, perhaps Shakespeare's favourite Latin author. Some pupils go on to discover that Shakespeare follows Ovid closely and that perhaps the humour that he puts into this episode is already there in Ovid. Here Thisbe arrives at the cave to meet her lover Pyramus, but is frightened away by the lion, leaving her cloak which the lion stains with blood. Pyramus, thinking that Thisbe is dead and that it is her blood, stabs himself in grief. Thisbe returns to find him dying and kills herself in turn. Here is a little of Shakespeare's parody followed by Ovid's original:

Enter Thisbe

THISBE

This is old Ninny's tomb. Where is my love?

LION (*roaring*)

Oh—

Thisbe runs off. Enter Pyramus

PYRAMVS

Sweet Moon, I thank thee for thy sunny beams;
I thank thee, Moon, for shining now so bright;
For, by thy gracious, golden, glittering gleams,
I trust to take of truest Thisby sight.
But stay, O spite!
But mark, poor knight,
What dreadful dole is here!
Eyes, do you see?
How can it be?
O dainty duck! O dear!
Thy mantle good,
What, stain'd with blood!
Approach, ye Furies fell!
O Fates, come, come,
Cut thread and thrum;
Quail, crush, conclude, and quell!
O wherefore, Nature, didst thou lions frame?
Since lion vile hath here deflower'd my dear:
Which is--no, no--which was the fairest dame
That lived, that loved, that liked, that look'd with cheer.
Come, tears, confound;
Out, sword, and wound
The pap of Pyramus;
Ay, that left pap,
Where heart doth hop:
Stabs himself
Thus die I, thus, thus, thus.
Now am I dead,
Now am I fled;
My soul is in the sky:
Tongue, lose thy light;

Moon take thy flight:

Exit Moonshine

Now die, die, die, die, die.

Dies

THISBE

Asleep, my love?

What, dead, my dove?

O Pyramus, arise!

Speak, speak. Quite dumb?

Dead, dead? A tomb

Must cover thy sweet eyes.

*Callida per tenebras versato cardine Thisbe
egreditur fallitque suos adopertaque vultum
pervenit ad tumulum dictaque sub arbore sedit; 95
audacem faciebat amor. venit ecce recenti
caede leaena boum spumantis oblita rictus
depositura sitim vicini fontis in unda;
quam procul ad lunae radios Babylonia Thisbe
vidit et obscurum timido pede fugit in antrum, 100
dumque fugit, tergo velamina lapsa reliquit.
ut lea saeva sitim multa compescuit unda,
dum redit in silvas, inventos forte sine ipsa
ore cruentato tenues laniavit amictus.
Serius egressus vestigia vidit in alto 105
pulvere certa ferae totoque expalluit ore
Pyramus; ut vero vestem quoque sanguine tinctam
repperit, “una duos” inquit “nox perdet amantes,
e quibus illa fuit longa dignissima vita,
nostra nocens anima est. ego te, miseranda, peremi, 110
in loca plena metus qui iussi nocte venires
nec prior huc veni. nostrum divellite corpus
et scelerata fero consumite viscera morsu,
o quicumque sub hac habitatis rupe leones!*

sed timidi est optare necem". velamina Thisbes 115
tollit et ad pactae secum fert arboris umbram,
utque dedit notae lacrimas, dedit oscula vesti,
"accipe nunc" inquit "nostri quoque sanguinis haustus!"
quoque erat accintus, demisit in ilia ferrum,
nec mora, ferventi moriens e vulnere traxit. 120
ut iacuit resupinus humo, cruor emicat alte,
non aliter quam cum vitiato fistula plumbo
scinditur et tenui stridente foramine longe
eiaculatur aquas atque ictibus aera rumpit.
arbori fetus aspergine caedis in atram 125
vertuntur faciem, madefactaque sanguine radix
purpureo tinguit pendentia mora colore.
Ecce metu nondum posito, ne fallat amantem,
illa redit iuvenemque oculis animoque requirit,
quantaque vitarit narrare pericula gestit. 130
utque locum et visa cognoscit in arbore formam,
sic facit incertam pomi color; haeret, an haec sit.
dum dubitat, tremebunda videt pulsare cruentum
membra solum retroque pedem tulit oraque buxo
pallidiora gerens exhorruit aequoris instar, 135
quod tremit, exigua cum summum stringitur aura.
sed postquam remorata suos cognovit amores,
percutit indignos claro plangore lacertos
et laniata comas amplexaque corpus amatum
vulnera supplevit lacrimis fletumque cruori 140
miscuit et gelidis in vultibus oscula figens
"Pyrame" clamavit, "quis te mihi casus ademit?"
Pyrame, responde! tua te, carissime, Thisbe
nominat; exaudi vultusque attolle iacentes!"
ad nomen Thisbes oculos a morte gravatos 145
Pyramus erexit visaque recondidit illa.

(Ovid, *Metamorphoses* 4.93-146)

5. Pyrrha

English poetry has always found inspiration in Latin verse. Poets imitate, translate, reinvent and steal the words, ideas and forms of their predecessors. One of the poems most frequently translated or imitated in English is Horace, *Odes* 1.5, the Pyrrha ode. John Milton's version (1673) follows. Notice how closely he follows the Latin rhythms and word order:

*Quis multa gracilis te puer in rosa
perfusus liquidis urget odoribus
grato, Pyrrha, sub antro?
cui flavam religas comam,
simplex munditiis? heu quotiens fidem* 5
*mutatosque deos flebit et aspera
nigris aequora ventis
emirabitur insolens,
qui nunc te fruitur credulus aurea,
qui semper vacuum, semper amabilem* 10
*sperat, nescius aurae
fallacis! miseri, quibus
intemptata nites. me tabula sacer
votiva paries indicat uvida
suspendisse potenti
vestimenta maris deo* 15

(Horace, *Carmina* 1.5)

What slender Youth bedewed with liquid odours
Courts thee on Roses in some pleasant Cave,
Pyrrha for whom bind'st thou
In wreaths thy golden Hair,
Plain in thy neatness? O how oft shall he
On Faith and changèd Gods complain: and Seas
Rough with black winds and storms

Unwonted shall admire:
Who now enjoys thee credulous, all Gold,
Who always vacant always amiable
Hopes thee; of flattering gales
Unmindfull. Hapless they
To whom thou untry'd seem'st fair. Me in my vow'd
Picture the sacred wall declares t' have hung
My dank and dropping weeds
To the stern God of Sea.

6. Virgil, *Aeneid*

Nineteenth and early twentieth century readers were much taken with this passage (6. 847-853) of the *Aeneid*, which seemed to speak directly to the British and sum up their role in the world:

*'excudent alii spirantia mollius aera
(credo equidem), vivos ducent de marmore vultus,
orabunt causas melius, caelique meatus
describent radio et surgentia sidera dicent:
tu regere imperio populos, Romane, memento
(hae tibi erunt artes), pacique imponere morem,
parcere subiectis et debellare superbos.'*

(Virgil, *Aeneid*, 6.847-853)

However, modern readers of Virgil are more likely to be moved by the tragedy of Dido in Book 4. In this passage Dido makes her final speech before stabbing herself. Readers are likely to be reminded of Purcell's setting of Dido's lament at the end of his short opera, *Dido and Aeneas*:

Thy hand, Belinda, darkness shades me,
On thy bosom let me rest,

More I would, but Death invades me;
Death is now a welcome guest.
When I am laid in earth,
May my wrongs create
No trouble in thy breast;
Remember me, but ah! forget my fate.

*'dulces exuviae, dum fata deusque sinebat,
accipite hanc animam meque his exsolvite curis.
vixi et quem dederat cursum Fortuna peregi,
et nunc magna mei sub terras ibit imago.
urbem praeclaram statui, mea moenia vidi,* 655
*ulta virum poenas inimico a fratre recepi,
felix, heu nimium felix, si litora tantum
numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae.'*
*dixit, et os impressa toro 'moriemur inultae,
sed moriamur' ait. 'sic, sic iuvat ire sub umbras.* 660
*bauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, et nostrae secum ferat omina mortis.'*
*dixerat, atque illam media inter talia ferro
conlapsam aspiciunt comites, enseque cruore
spumantem sparsasque manus. it clamor ad alta* 665
*atria: concussam bacchatur Fama per urbem.
lamentis gemituque et femineo ululatu
tectata fremunt, resonat magnis plangoribus aether,
non aliter quam si immissis ruat hostibus omnis
Karthago aut antiqua Tyros, flammaeque furentes* 670
*culmina perque hominum volvantur perque deorum.
audiit exanimis trepidoque exterrita cursu
unguibus ora soror foedans et pectora pugnans
per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
'hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?* 675
*hoc rogos iste mihi, hoc ignes araeque parabant?
quid primum deserta querar? comitemne sororem*

*sprevisti moriens? eadem me ad fata vocasses,
idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset.
bis etiam struxi manibus patriosque vocavi* 680
*voce deos, sic te ut posita, crudelis, abessem?
exstinxti te meque, soror, populumque patresque
Sidonios urbemque tuam. date, vulnera lymphis
abluam et, extremus si quis super halitus errat,
ore legam.' sic fata gradus evaserat altos,* 685
*semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
cum gemitu atque atros siccabat veste cruores.
illa gravis oculos conata attollere rursus
deficit; infixum stridit sub pectore vulnus.
ter sese attollens cubitoque adnixa levavit,* 690
*ter revoluta toro est oculisque errantibus alto
quaesiuit caelo lucem ingemuitque reperta.*

(Virgil, *Aeneid*, 4. 651- 692)

7. Requiem

Apart from in gardening books, many people today are most likely to meet Latin in the concert hall. Many choirs perform renaissance choral music in Latin by Josquin, Palestrina, Byrd, Tallis and many others. They may also hear one of the great requiem masses by Mozart, Berlioz or Verdi. One of the texts which inspires the composers to terrifying pictures of hell is the *dies irae*:

*Dies irae, dies illa
solvat saeculum in favilla:
teste David cum Sibylla.
Quantus tremor est futurus,
quando iudex est venturus,
cuncta stricte discussurus!*

*Tuba mirum spargens sonum
per sepulcra regionum,
coget omnes ante thronum.
Mors stupebit et natura,
cum resurget creatura,
judicanti responsura.
Liber scriptus proferetur,
in quo totum continetur,
unde mundus judicetur.
Judex ergo cum sedebit,
quidquid latet apparebit:
nil inultum remanebit.
Quid sum miser tunc dicturus?
Quem patronum rogaturus,
cum vix justus sit securus?
Rex tremendae majestatis,
qui salvandos salvas gratis,
salva me fons pietatis.
Recordare, Jesu pie,
quod sum causa tuae viae:
ne me perdas illa die.
Quaerens me, sedisti lassus:
redemisti Crucem passus:
tantus labor non sit cassus.
Juste judex ultionis,
donum fac remissionis
ante diem rationis.
Ingemisco, tamquam reus:
culpa rubet vultus meus:
supplici parce, Deus.
Qui Mariam absolvisti,
et latronem exaudisti,
mibi quoque spem dedisti.
Preces meae non sunt dignae:*

*sed tu bonus fac benigne,
ne perenni cremer igne.
Inter oves locum praesta,
et ab haedis me sequestra,
statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
flammis acribus addictis:
voca me cum benedictis.
Oro supplex et acclinis,
cor contritum quasi cinis:
gere curam mei finis.
Lacrimosa dies illa,
qua resurget ex favilla
judicandus homo reus.
Huic ergo parce, Deus:
pie Jesu Domine,
dona eis requiem. Amen.*

(Thomas of Celano)

Bibliography

- C. Iulii Caesaris *Commentariorum pars prior qua continentur libri VII De Bello Gallico* cum A. Hirti supplemento, recensuit brevique adnotatione critica instruxit R. Du Pontet. Oxonii e typographeo Clarendoniano 1962 (1900, 1906 repr.).
- M. Tulli Ciceronis *Orationes. Divinatio in Q. Caecilium. In C. Verrem*, recognovit brevique adnotatione critica instruxit G. Peterson. Oxonii, e typographeo Clarendoniano 1965 (1907, 1917 repr.).
- Q. Horati Flacci *Opera*, recognovit brevique adnotatione critica instruxit E. Wickham. Editio altera curante W. Garrod. Oxonii, e typographeo Clarendoniano 1963.
- Cornelii Taciti *Annalium ab excessu Divi Augusti libri*, recognovit brevique adnotatione critica instruxit C. D. Fisher. Oxonii, e typographeo Clarendoniano 1966 (1953).
- Cornelii Taciti *Opera minora*, recognovit brevique adnotatione critica instruxit H. Furneaux, Germaniam et Agricolam iterum recensuit J. G. C. Anderson. Oxonii, e typographeo Clarendoniano 1962 (1900, 1902 repr., 1931 with corrections, 1939 with corrections).
- P. Vergilii Maronis *Opera*, recognovit brevique adnotatione critica instruxit F. A. Hirtzel. Oxonii, e typographeo Clarendoniano 1963 (1900, 1902 repr.).